

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Henr. Ioh. Nepom. Crantz S.C.A. Maiestat. Consiliar.  
Institut. Med. Et Mater. Medic. Vindob. Profes. Pub. Ord.  
Acad. Imp. Nat. Curios. Et Societ. Botan. Flor. Sodal.  
Materiæ Medicæ Et Chirurgicæ ...**

**Crantz, Heinrich Johann Nepomuk**

**[Wien], 1765**

Classis Prima Venenorum Acrium.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-10196**

CLASSIS PRIMA  
V E N E N O R U M  
A C R I U M.

---

*EX MINERALIBUS.*

**C**O B A L T U M *Offic. Mineralogorum.* Classis Semimetallorum. Cadmia Vitri Cærulei W, German. Kobolt. Gallis Cadmie. Anglis Brass - Oar.

**C**O B A L T U M a Cobalis dæmonibus illis, seu mettallicis virunculis forte derivatum, græcis cadmia, vaga omnino, & ad alias res significandas etiam translatâ voce appellatur: semimetalum est pigmentarium, vitra & crystallos in cœruleum colorem commutans. Semimetalum vero esse in *Actis Suecicis* ex his rationibus docuit omnium primus *Celeber. B R A N D T:*

1. Quod externa facie metallum referat.
2. Quod pondus habeat metallicum.
3. Quod igne fundatur, fusum, dum refrigeratur, superficiem convexam acquirat, quod distinctivum substantiarum metallicarum criterium.
4. Quod in aqua forti solvatur, & menstruo colorum ex viridi flavescentem communicet; quod sales alcalini hanc solutionem præcipitent, & nigrum



grum illi colore in concilient, dum alcali volatile illam late rubicundam reddit.

Cæterum in omnibus acidis mineralibus solubile cobaltum est, CADET. *Memoires de Phys. & Mathematique*. T. III. 1760. Solutum, atramentum sympatheticum largitur, IDEM. Arsenico imprægnatum est, quod ab eo abstrahi potest, & forma liquidi fuman-  
tis exhiberi, IDEM.

Multis in Europæ locis semi-metalli huius mineræ adinveniuntur; fertiles his sunt Bohemia, Misnia, Anglia & regiones aliæ, atque hæ vaporibus arsenicalibus mineræ sæpe deleteriæ sunt, & ipsum cobaltum vi erodente tanta pollet, ut sæpe nudas fossorum manus, & pedes exulceret, imo & chartam, qua inclusum fuit, erasissæ visum, ut vel inde perspicuum omnium animantium generi venenum præsentaneum esse. Pueræ porrigit laboranti cobalti pulvere in sparsit ma-  
ter, at misera post paucas horas rapta est, ex observa-  
tione HALLERI. Alios deleterios casus cobalti Acad.  
N. C. Vol. V. recenset.

Cæterum cobalorum plurimæ eæque distinctissimæ species recensentur mineralogis, ea vero, quæ ad simulatum conficiendum adhibetur, usitatissima, est minera cobalti cinerea, granulis minoribus, ut & maioribus, fragilis, WALLERI, quæ etiam si cum minera arse-  
nicali confundatur, ab ea tamen aliis notis facile distin-  
guitur. Hæc iam si usulatur, arsenico, quo imprægna-  
ta est, avolante, exhibit terram cœruleum colorem  
largientem, verum cobaltum, quod zapheram, & sim-  
latum constituat.

ZA-



ZAPHERA a sapphirino colore dicta, nihil aliud est, quam usculatum & lœvatum cobaltum, idque purum, aut etiam dupla silicum pulveratorum quantitate commixtum, ope aquæ in lapidem friabilem concretum: hoc utuntur porcellaneis, & aliis vasis pingendis Pictores.

SMALTA seti encaustum, verum cobalti produc-  
tum, vitrum est, cobalto calcinato, cum dupla, vel  
tripla silicum præparatorum, simili etiam cinerum  
clavellatorum quantitate, fusum, larga frittæ copia de-  
novo remixtum, fusum, tum lœvatum in tenuissimum  
pollen, doliis inclusum, pictoribus, lotricibus, figuris  
inserviens. Habetur adhuc ex cobalto Regulus.

Cæterum non omne cobaltum æque pulchrum encau-  
stum cæruleum largitur: in calcinatione arcanum est.  
Cobalti vero mineræ ita facile in hanc rem tentantur:  
funditur in crucibulo cobalti examinandi pars una, ad-  
dantur boracis duæ, aut tres, quæ prout vel magis,  
vel minus eleganter colorantur, criteria de minera ad-  
hibita suppeditant.

USUS MEDICÙS vix ullus. Smalta in ceratum  
defensivum cæruleum recipitur, non satis intellecto,  
nec adeo rationali scopo; est enim comminutum  
vitrum.

ARSENICUM. *Mineralogiae Arsenicum Na-*  
*tivum simplex. Classis Naturalis Salium. Germ.*  
*Arsenic. Gallis Arsenic. Anglis Arsenic.*

ARSENICUM substantia est salina, fragilis, igne  
non inflammabilis, sed fusilis, cum rapacitate volatilis,  
fumo



fumo albo, odore terribili allato manifesta. Notas eius characteristicas rapax volatilitas, & odor alliaceus constituunt, non albus fumus, siquidem & zincum, & antimonium, & mercurius, eodem modo fumant.

Quod reliquas huius veneni proprietates spectat, scire iuvat, in omnibus liquidis solvi, aquosis, acetosis, spirituosis, oleosis, lixiviosis, diversa tamen liquidorum proportione, digestione, calore; in quindecupla aquæ quantitate tota die ebulliente solvit, & evaporatione in crystallos flavas, pellucidas, irregularis figuræ, concrescit, in aere in colorem farinosum album commutandas.

Omnibus etiam metallis sociatur, varias his mutationes inducens, auro colorem cinereum, argento ex cinereo obscuriore conciliat, cuprum dealbat, sed simul malleabilitatem illi tollit, stanno fusibilitatem demit, plumbum in vitrum, ferrum in nigrum massam commutat, BRANDT, *Ast. Vps.* In depuratione metallorum nobilium arsenicum formidatur; quæsitum diu remedium contra hostem est, & in ferro inventum in Galliis a D. GROSS.

Arsenici nativi plurimæ species sunt, quæ omnes nota characteristicæ cognoscuntur: præcipuas dicam.

RISIGALLUM & SANDARACHA vel  
REALGAR Offic. Arsenicum nativum purum,  
Sulphure mixtum, rubrum vel flavum, *Mine-  
ralogiae WAL.* Germ. Rauschgelb. Gallis  
Orpin Rouge. Anglis Native Gellow, or Red  
Arsenic.

Est arsenicum nativum, licet & factitium tale sit:  
rubrum Sandaracham, flavum Risigallum proprie  
call-



candum esse, aliqui contendunt, quod parum interest, modo notetur, arsenicum nativum rubrum, sandaracha dictum, eo venenatum magis esse, quo rubicundius sit, venenatissimum semper flavum seu risigallum: pellucidum in Transylvania adinvenitur.

Mirum sandaracham iam veteribus notam, tam extero, quam interno usu præscriptam. **DIOSCORIDES** posteaquam ad externa multa laudasset, dicit: datur ex mulso purulenta tussientibus, suffitur quoque adversus veterem tussim, rapto per fistulam nidore, vocem expedit cum melle delincta, suspirosis cum resina in catapotio optime datur. **HIPPOCRATES**. in uteri suffocatione cum tussi, sandarachæ obuli pondus, id est grana duodecim, sulphuris ignem non experti tantundem, & amygdalas tres vel quatuor repurgatas, commixta, & vino odorato exhibenda præcipit. **Realgar** utilem etiam proponit **HELMONTIUS** præparationem, prudenter tamen absinetur ab omnibus.

**AURIPIGMENTUM** *Offic.* Arsenicum Sulfure, & lapide spatoso, & micaceo mineralisatum, in minera flavescente *Mineralogiae W. Germ.* Operment. *Gallis Orpin.* *Anglis Orpiment.*

**AURIPIGMENTUM** a colore aureo, quem ab eo mutuantur pictores, ita dictum, est propriæ arsenicū veterum, quo calcinato parabant adeo illis notam sandaracham. Quod proprietates eius spectat: ægre accenditur, accensum flammarum dat ex alba cœruleam, quæ abit in fumum crassum, album, allium fœtem. Hic cultrum superpositum, pulchro spectaculo, albo-



albsoluteo, subrubro, colore obducit. Post calcinationem quæ superest materies, arenosa viridis conspicitur.

Nativum insipidum, interne etiam magna dosi animalibus datum innoxium, CELSO ad repurganda ulcera adhiberi; fauces eo repurgari, vocem sonoram reddi, tussim compesci PLINIO relatum, dum ab eius usu DIOSCORIDES abstinuit, & huic vim erodentem, urentem, reprimenter, depilatoria adscripsit; sed licet sandaracham, non auripigmentum, DIOSCORIDEM adhibuisse clarum sit, ancipitem medic nam alii dinnant. Fœminam pauca grana ad debellandam febrim assumptam, per triginta annos convulsionibus tentatam, *Hijstr. L. B. van SWIETEN.*

Ex auripigmento fit atramentum sympatheticum, seu liquor vini probatorius, admixta saturnina, quibus in mortalium perniciem dulcificari solet, prodens; is vero auripigmenti unciis duabus, calcis vivæ uncia una semis, pulverisatis, & vix dimidio quadrante horæ in aliquot unciis aquæ coctis, constituitur WALLERIO, uncia una auripigmenti, unciis duabus calcis, PEYRE *Assemblé publique de la Société Royale des Sciences de Montpellier 1749.* Cæterum etiam vinum plumbo adulteratum spiritu salis detegi potest. Est etiam idem atramentum sympatheticum aceto lithargyri detegendum.

Cum auripigmento & calce viva medicamentum pilos corporis auferens concinnatur, varia dosi plus, minusve tutum: tutissimum fit, si unciæ duodecim calcis vivæ, uncia una auripigmenti, unciæ octo amyli sumantur, adiecta aqua pasta fiat applicanda, donec sic.



siccescat relinquenda, tum vero illico aqua calida abluitur.

**ARSENICUM.** *Offic.* Classis Præparatorum  
Semimetallicorum Cobalti.

ARSENICUM in officinis triplex, nullum nisi arte factum, & plerumque ex cobalto sublimatione elicatum, licet tamen & ex farina arsenicali, & aliis arsenici mineris parari possit, habetur. Modum, ut in Hungaria paratur, in *Transact. Philosoph.* Nro. 293. D. KRIEG dedit.

*Album* est cobalti fuligo, fortissimo igne in massam ponderosam duram, vitream liquata, coloris externe calcis, interne vero vitri, saporis aeris, & exedentis. Maximam vim in nitrum habet, ut quidecum ex eo tanta facilitate acidum eiiciat, quanta id vitriolicum expellit, MACQUER *Acad. des Sciences* 1746. Acidum ita expulsum aquam fortem constituit cærulei coloris IDEM; caput mortuum vero elutriatum, evaporatum, salem, acido arsenici basi nitri iuncto, neutrum, crystallis prismaticis quadrangulis, rectangularibus consistentem, ab arsenico fixato diversum, IDEM, etiam ab ipso hepatè arsenicali, facto nitri fixi & arsenici saturato lixivio, discrepantem, IDEM.

Quanquam vero adeo vehementer ab arsenico impetratur nitrum, in salem marinum arsenicum nihil potest Cl. POTT, quod huic acidum salis adversum, MACQUER *Acad. des Sciences* 1748. Equideum ablato acido viduæ basi arsenicum nubit, & cum ea salem medium constituit priori similem, IDEM ibidem; sed neque cum sale ammoniaco congreditur arsenicum, dum salem ammoniacum nitrosum cito petit, IDEM.

Crantz M.M. T. III.

C

Ci-



*Citrinum* una parte sulphuris ad decem cobalti addita, mitificatum, mitius, haud securius, & ad eandem cobalti duabus etiam sulphuris additis partibus *ruberum*, non ideo tutius. Quin merito damnatur, album tamen ad veneficia frequentissimum, & crudelissimum, omni animanti venenum, quidquid hucusque laboraverint chemici, & fecerint auidaces in corium humanum agyrtæ. Loquuntur clades aquæ *della Toffigna*, cuius antidotum inventum succus citri, limonio-rum. *TACHENIUS* ad extrema, inspirata arsenicali aura, redactus, vix lacte, oleo, vulnerariis decoctis & esu cymarum brassicæ, & succo aurantiorum servatus est; & nuper omni bikorio decem grana bezoardi mineralis exhibendo, cum aqua hordei lacte diluta, & oleo olivarum, miserum servavit de *HENNE*. *Journal de Medecine, Chirurgie, &c.* T. IX. X. &c. Milites scabiosi decocto arsenici sese abluentes, genitalium sphacelo cum intolerabilibus doloribus, febre, vigiliis, siti obortis pessime luere, *DEGNERUS*. Arsenicalis pulvis cancro mammæ adhibitus, mulierem intra quinque dies crudelissime rapuit, *FERNELIUS*. De amuletis non minus funestæ historie sunt; ut interno, & externo usu lethale venenum merito, donec & ex hoc medicina inventa sit, habeatur.

Remedio sunt: lac, butyrum, succus citri, limoniorum, decoctum radicis sambuci cum lacte factum, addito butyro euphoriston habent, *Asta Hassiensia*. An alcalina certius domant? Posse salutarem reddi internum arsenici sale alcalino domiti usum, *Acad. Mengunt*. T. I. promittit. Si arsenici pars una, aquæ partes centum sexaginta octo, salis tartari partes duodecim, misceantur, continua ebullitione, ad dimidiæ aquæ consumptionem coquantur, refrigeratis, evapora-

rata

rata pars aquæ addatur cum momento spiritus vini; tum exhiberi medicamentum posse ad guttas triginta adul-  
tis, in febribus, nec noxam observari, **BADEM** asse-  
rit. Contraria sunt **STOERCKII** nostri experimenta.

**LAPIS ARMENUS, & LAPIS LAZU-**  
**LI** *Offic. Mineralogiae.* Classis Naturalis La-  
pidum, Ordo Vitrescibilium. *Germ.* Arme-  
nischer Stein und Lazurstein. *Anglis* Lapis  
Armenus & Lazuli. *Gallis* Pierre Armenien-  
ne & Pierre d'Azur.

Non nisi inmatuitate hi differunt lapides, cæterum similes. Armenus friabilis magis, durior lapis lazuli florum cyani cærulei coloris, aureis argenteisque punctis, & venis exornatus est. Ex Armeno cæ-  
ruleum montanum, ex altero ultramarinum præpara-  
tur, in usus mechanicos. In pulcherrimis de hoc la-  
pide experimentis ne vestigium cupri, sed pyritis mar-  
tialis, invenit *Cl. MARGGRAF. Script. Chemic.*  
*Berol. 1761.*

**VIS MEDICA, ALEXANDRO TRALLIA-**  
NO ad imaginationes melancholicas, veratro al-  
bo utilior, & securior, **AETIO** etiam sacro morbo obnoxiis, & furiosis laudata, nostri xvi experimen-  
tis non confirmata est: an ob cuprum merito su-  
specta?



*EX VEGETABILIBUS.*

ACONITUM *Offic. Botanicorum.* Classis Multi-stam. Germ. Gifftkraut. Galli Aconit. Italis Aconito.

Omnis huius generis species suspectæ sunt, nec ipsum aconitum *salutiferum* B. periculo vacat; non observavit tamen in sele experiment. III. IV. SPROEGEL, circa varia venena in variis animalibus, dum anthoram semel ad drachmas duas, semel ad quatuor daret. Anthoram aconiti antidotum hi volunt, alii negant. Inter cæteras species & aconitum *Lycotonum*, quod foliis peltatis palmatis, & aconitum *Napellus*, quod foliorum laciñiis linearibus, superne latioribus, linea exaratis, cognoscitur, præcipue criminantur. Venenis iam DIOSCORIDI napellus accensitus, WEPFERO, MEAD, in brutis, MATHIOLO in hominibus infamis visus est; non desunt tamen etiam mitioris effectus exempla, quale in experimento I. SPROEGEL, qualia etiam observavit LINNÆUS, ut inde merito querat Clariss. Vir, an aconiti vis in septentrione frigore dometur? an forte sola deleteria vis in radice, non foliis, præcipue iunioribus, urticæ exemplo? Sed Cl. SPROEGEL experimentum primum in radice non semper esse evincit. Tentamina de his, diversis in regionibus, in diversa ætate plantarum reiteranda, dum interea merito omnes hæ species suspectæ habentur.

Nuper



Nuper de hoc ut etiam de Stramoneo & Hyoscia-  
mo nova experimenta protulit A. STOERCK, qui de  
his videndus.

**A N A C A R D I U M** *Offic. Botanicorum. Classis  
Pauci-stam. Germ. Elephantenlaus. Gallis  
Anacarde. Anglis Malacca Bean.*

Fructus compressus, aviculæ cordis figura, ex oc-  
cidente allatus, recens liquorem unctuosum nigrican-  
tem causticum, præfocante, exsiccatus nullum con-  
tinet. Alter priori similis ex oriente allatus, puta-  
men acerrimum, nucleo dulci nutritore, farctum ha-  
bet. Uterque suspectus est. Ad dementiam ducere  
**R H A S E S** reliquit, quod & alii confirmarunt, ut  
confectio anacardina merito culpari possit, & conse-  
ctio stultorum nonnullis dicta sit.

**A N E M O N E** *Offic. Botanicorum. Classis Na-  
turalis Multi-stam. Germ. Anemon Röslein.  
Gallis Anemone. Anglis Winde-flower.*

Inter omnes, Anemone *Pulsatilla* botanicis dicta,  
quæ foliis decompositis, pinnatis, flore nutante, lim-  
bo recto, cognoscitur, acerrima, quod applicata cor-  
pori vesicas excitet, etiam aqua stillatitia vomitum  
moveat, TOURNEFORT. Mitissima est Anemone  
*Hepatica*, quæ foliis trilobis integerrimis instructa vi  
adstringente utilis habetur LINNÆO.

**A P I U M R I S U S** *Offic. RANUNCULUS  
SCELERATUS* *Botanicorum. Classis Na-  
turalis Multi-stam. Italis Apio Riso.*

Tota etiam Ranunculorum familia admodum suspe-  
cta plurimorum experimentis habetur; & quidem Apium

C 3 Ri-



Rifus *Officinarum*, seu ranunculum *foliis inferioribus palmatis*, *summis digitatis*, *fructibus oblongis*, iam **DIOSCORIDES** multum damnavit, nec deest in *Ephem. N. C. Decad. III. Anno II.* exemplum criminacionem **DIOSCORIDIS** abunde confirmans. Tum ranunculus *Flammula*, qui *foliis ovato-lanceolatis*, *petiolatis*, *caule declinato*, cognoscitur, acerrimus, vesicans, mendicis, ut hominum misericordiam in quæstum vertant, adhibitus. Ranunculus *Acris*, qui *caule eretto multifloro*, *folio pentagono*, *lobis sessilibus* cognoscitur, etiam in vesicatorium vocatus fuit; hoc sanatus arthriticus, quem frustra curassent **FABRICIUS**, & **CAPIVACCIO** teste **HALLERO**. Est etiam ranunculus *Alpestris caule aphylo*, *subunifloro*, *foliis subrotundis*, *semitrifidis*, acerrimus; arthritidem vesicatorio ex hoc ranunculo facto, curatam habet **CONSTANT. Med. Helv.** & ranunculo nemorofo vesicante brachium respondens dolenti denti, odontalgiam saepius curatam **WOLFF. Ephem. N. C. Decad. II. Anno I.** Ranunculus *Thora* *foliis radicalibus cordato subrotundis*, *caulinis sessilibus*, *lanceolatis*, *integerrimis*, omnium venenatissimus.

Assumpto Apio Rifus curationem praescribit **DIOSCORIDES**, vomitum, aquam mulsam, & lac liberalius epota, tum irrigationem, & perunctionem cum pinguisibus.

**APOCYNUM** *Offic. Botanicorum CYANCHUM. Classis Pauci-stam. Germ. Hundstodt. Italis Apocino. Anglis Dogbane.*

Quæ canes, lupos, vulpes enecat in cibo data planta, Botanicorum Cynanchum *erectum*, *caule eretto*, *diva-*

*divaricato, foliis cordatis, glabris habetur.* *Aq id etiam de aliis vel cynanchi, vel apocyni speciebus verum? experimenta defunt.* *Apocynum medicamentum sursum deorsum movens Ipecacuanhae simile HARRIS* *habet.*

*ARNICA Offic. Botanicorum. Classis Naturalis Compositarum Radiatarum. Germ. Mutterwurtz Fall-Kraut.*

*ARNICA* *foliis ovatis, integris, coniugatis, vomitus, cardialgia cum periculo movet BRESLAVIEN-SES,* *etiam valentioribus GMELIN Fl. Sib.* *Satura-tius infusum dolores acerbissimos facit, oleosis vix do-mandos, ut in se ipso expertus COHAUSEN, pugillo tamen uno, etiam duobus infusa planta, pota potenter extravasata resolvit OMNIUM experimentis, ut ante aliquot tempus multum inclarerit, & adhuc in febribus cum hæmoptoe, etiam exanthematibus enixe recom-mendet BRUCKNER Select. Med. Francof. T. I. & in paralysi multiplici experimento in Nosocomio suo Noster COLLIN.*

*ARUM Offic. Botanicorum. Classis Naturalis Pal-marum. Germ. Aron. Anglis Wake Robbin. Gallis Pied de veau.*

*ARUM* *foliis sagittatis, cucullo recto HALL. officinale, recens igneum exurens, maiori dosi noxiū, etiam lethale.* *Ab infuso foliorum vomitum cruentum STÆHELINUS:* *a maiori recentis radicis dosi cardial-gia rapi iuvenem Cl. STOERK.* *Exsiccatum mitius vix periculosum, quandoque effœtum.* *Recens coctione in aqua multum, in aceto in integrum mitescit, ut etiam edule sit, quod iam veteribus exploratum.* *Radicem*

ari esculentam esse, imo folia aceto decocta mandi posse, THEOPHRASTUS, DIOSCORIDES reliquere. An inde nutriti milites Valeriani apud IULIUM CÆSAREM?

VIS MEDICA ad morbos a glutinoso spontaneo princeps, ventriculo, pulmoni, mucusis dicata, resolvens incidentes, antifebrilis, etiam partibus paralyticis igneo stimulo tam interno quam externo usu utilis. Languidum paralyticum ventriculum restituit saepe, asthmatum desperata sustulit, externe ulcera sordida mundavit, in epithemate etiam arthritidi profuit. Medicamenti recentis in forma pulveris cum aliis praescripti dosis, granorum quinque decem, exsiccati scrupuli drachinæ semis. Convenientissima recentis est forma pilularis, extracto indicato & pulvere ari concinnata. Unciae semis pondere vinis medicatis additur. Fœcula inutilis est officinis curæ. Pulvis Ari compositus in officinis egregius est.

Aro veneno acetum medicina est.

AZEDERACH *Offic. MELIA Botanicorum.*  
Classis Pauci-stam.

MELIA foliis decompositis MATTHIOLO inmultum criminatur, quod venenissima stirps sit, cuius foliis interficiantur animalia, fructuum esu moriantur canes, quos nec aves attingant. Flores aperientes, obstructionibus utiles in infuso, aut decocto potos, lego in *Encyclopedie*, an satis tuto experimento? fructum pediculos interficere etiam relatum, *ibidem*.

CATA-

CATAPUTIA Minor *Offic. Botanicorum.*

EUPHORBIA. Classis Pauci-stam. *Germ.*

Springkörner. *Gallis Espurge, Anglis Gar-den Spurge.*

Quæ hæc semina cataputiæ minoris officinis dicta largitur planta, Euphorbia est *inermis*, *foliis oppositis lanceolatis*, *umbella universalis quadrifida*, *tetraphylla*, *reliquis dichotomis*. Succo lacteo acerrimo planta violentissime sursum deorsumque movet, non sine periculo corrosionis, & gangrænæ. Eadem vim semina habent, a mulo-medicis sæpe exhibita hydropicis.

VIS draſtica, cauſtica. An hæc ita laudatur a Cl. NORFOLD? *Recueil periodique d'observations &c.* in cancer in mammarum irritis aliis efficax in unguento, quod ita paratur: Succus cataputiæ expressus in vase plumbico soli exponitur, usque dum consistentiam unguenti acquisiverit, ita condensatus cum mercurii dulcis præcipitati & plumbi nigri ana scrupulo uno miscetur, & ad usum reconditur. Mercurius dulcis vero obtinetur, si uncia seminis mercurii dulcis cum libra una aquæ calcis vivæ miscetur, & per duos dies in quiete servatur, quo facto mercurius in pulverem nigrum præcipitatur, qui ope filtri ab aqua separatus, siccatur. Sed quæ est, quæ adhibetur cataputia? Succi condensati miscendi, quæ est dosis?

CATAPUTIA Maior *Offic. Botanicorum.*

RICINUS Vulgaris. Classis Incomplet.

*Germ.* Purgir-Körner. *Gallis Ricin, Angl. Mexico Seeds.*

RICINUS vulgaris, qui, *foliis peltatis, palmatis, serratis, petiolis glanduliferis*, cognoscitur, officinis

hæc semina largitur, quæ cataputixæ maioris semina dicuntur, quod vel ideo magis tenuendum, quod etiam ricini maioris semina multis in officinis prostent, cum prioribus non confundenda, quia ex alia planta, Iatrophæa nempe, folijs cordatis angulatis, desumuntur; utraque tamen admodum ob exurentem acrimoniam, vim inflammantem, suspecta esse debent.

VIS anthelminthica LINNÆO specifica, Dosis scrupulus semis unus.

CHAMÆLEON Niger Offic. *Botanicorum.*

ECHYNOPS. Classis Naturalis Compositarum. Germ. Schwartze Eberwurtz. Galli Chameleon Noir. Anglis Black Chameleon.

ECHYNOPS floribus fasciculatis, calycibus multifloris, succum inflammantis acrimoniæ habet, BELONIUS, ut male carlinæ viribus accedere perhibetur, DALE. Non est in usu.

CHRISTOPHORIANA Offic. ACTÆA

*Botanicorum.* Classis Multi-stam. German. Christoph-Kraut. Galli Herbe de St. Christopherle,

ACTÆA baccas nigras multum venenatas fert, etiam antiquitati suspectas, quæ tamen in extractum redactæ ab ignaro pharmacopœo, & sub extracti Hellebori HIPPOCRATIS nomine, reposita, duodecim granorum pondere, puellæ præscribuntur absque malo effectu SAUVAGES Acad. des Sciences 1739. Externe ad scabiëm nonnullis habentur utiles.

CLE-

CLEMATIS *Offic. Botanicorum.* Classis Multi-stam. *Germ.* Waltreben. *Gallis* Herbe augeux. *Anglis* Climers.

Inter Clematidum plures suspectas species, maxime *vitalba* foliis pinnatis, foliolis cordatis, inæqualiter inciso-serratis definita, acerrima, & ad inurenda ulceræ recepta, *HALL.* etiam podagrīcis pro vesicatorio applicata *CHESNEAU.*

COCCUM GNIDII *Offic. Botanicor.* THYMELÆA. Classis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Klein Kellerhals Saamen. *Gallis* Garou, *Anglis* Spurge Olive.

THYMELÆA floribus spicatis sub foliis ellipticis, modice acuminatis, lævibus, mollibusve *HALLER.* semen hoc officinis largitur, admodum urens, inflammatorium, exulcerans, præfocans, experimento *Illustr.* L. B. van SWIETEN. Sunt etiam in hac gente sociæ suspectæ; in thymelæa enim floribus inter folia acuminata lævia duraque positis, fervor, & venenum idem est *HALLER.* Huius cortex sub nomine mezera officinis plerumque exhibetur. Pessimum nostræ plantæ effectum *TRAGUS* vidit, cum magno & diuturno sanitatis detriumento in Dania exhiberi *BUCHWALD,* cruentam alvum facere *DODONÆUS,* reliquere.

USUS in hydrope illæsis visceribus cautus, ad scrupulum semis, unum, *GEOFFROY:* folia in aqua frigida macerata drachmæ dimidiæ, vel unius pondere, infusum dant æque purgans hydropicum.

COL.



**COLCHICUM** *Offic. Botanicorum. Classis Naturalis Liliorum. Germ. Zeitlosen. Gallis Mort au chien, colchique. Anglis Wildsaffron.*

Venenata stirps præfocat experimento *Illustris. L. B. van SWIETEN.* A radice ad necem purgatus rusticus **LUDOVICI.** Puella ventris torminibus ab assumpto veneno tertia die rapta, **GARIDEL.** Ex feminibus mors post horrendos vomitus in duabus puellis, **PEYER;** etiam gallinis lethale semen, *Acad. N. C. Vol. X.* Turcæ Colchici floribus in vino infusis ad stupiditatem inebriantur. An est in amuleto **WEDELII** ex colchico, & aliis confecto, laudata virtus? Cæterum legi potest de hac radice **A. STOERCK libellus.**

**CORIARIA** *Offic. Botanicor. Classis Naturalis Incompletarum. Germ. Klein Mehlbaum. Gallis Blanche Putain. Anglis Waxfaring Tree.*

**CORIARIA**, seu *Rhus myrtillifolia Monspeliaca* **C. B.** vim particularem epilepsiam omnibus animalibus inducendi habet, **SAUVAGES Acad. des Sciences 1730.** ex hoc **LINNÆUS** citat, negat vero repetito experimento **Cl. MANETTI Virid. Florentino.**

**CORONA IMPERIALIS** *Offic. PETILIU M Botanicorum. Classis Naturalis Liliorum. German. Kaiser Cron. Gallis Couronne Imperiale.*

**PETILIU M** *foliis caulinis, venenata vi cicutæ par, succo acri, mordace, exulcerante, gangrenosum, WEPFERI observatione, & CAMERARII experim ento infame habetur.*

100

CY-

CYCLAMEN *Offic.* *Botanicorum Classis Pauli-stam.* *Germ.* Schwein-Brod. *Gallis Pain de porceau.* *Anglis Sowbrede.*

CYCLAMEN *foliis cordatis, corolla reflexa,* ob qualitatem acrem fervidam, quæ assatione ita perit, ut radix esculenta fiat, damnatur; audacioribus in succo purgandi scopo drachmarum duarum, triumve dosi, non satis tuto exhibetur; in usum externum cataplasmatis, ut etiam emplastri admittitur; vermes destruere, & scrophulis prodesse inunctum perhibetur.

CUCUMIS ASININUS *Offic.* MOMORDICA *Botanicorum Classis Naturalis Incomplete.* *Germ.* Esels Kürbs. *Gallis Concombre sauvage.* *Anglis Wild Cucumber.*

MOMORDICA absque cirrhis, officinis suam radicem, & extractum, quod Elaterium vocant, largitur. Vis in utroque liquida fundens, carnes liquans, draistica, periculosa, iam veteribus cognita; ut omnia purgantia, si essent valida, vocarent elateria, EROTIANUS. Cæterum elaterii parandi rationem DIO-SCORIDES dedit optimam, idque post bimatum tantum exhibendum contendit. Scrupulum, recens fine noxa ab Illustriſſ. L. B. van SWIETEN exhibuit, omnino abstulit.

USUS in morbis desperatis prudens, hydropicis illæsis visceribus egregius. Elaterii dosis periculosa est; a minori incipiendum, grano nempe uno, duobus ad quatuor, Scrupuli unius pondus LINNÆUS habet, forte errore typographi? Radicis cucumeris asinini dosis maior, gran. decem, quindecim. Drachmam dimidiā pulveris dum vini Malvatici, vel Hispanici



nici unciis duodecim infunderet, & in tres potiones, tribus diebus mane sumendas, divideret CAPIVACCIUS, multos curavit hydropicos.

do Cæterum tamen ignorari minime debet, draistica hæc purgantia ratus Hydropicos percurare, saepius vires deicere, tumorem ipsum non emungere, & hac methodo profligatum saepissime redire, ut Artis Medicæ Principes diuretica purgantibus semper commisceant.

DRACONTIUM *Offic. Botanicorum. Classis Naturalis Palmarum.*

DRACONTIUM *scapo brevissimo, petiolo radicato, lacero, foliolis tripartitis, laciniis pinnatifidis,* LINNÆUS. Huius spatha, dum aperitur, fætorem putridissimi cadaveris spargit, olfacientes attonitos, & catalepticos reddit, IDEM in *Hort. Cliff.*

ESULA *Offic. Botanicorum. TITHYMA-LUS. Classis Pauci-stam. Germ. Teuffelsmilch. Galli Tithymale. Anglis Wilde spurge.*

Variis in officinis variæ Tithymalorum species in usu sunt: Holmiae adhibetur Tithymalus altissimus iævis, foliis sub floribus ternis, cordatis, fructu verrucoso, HALLERI. Flensburgi, teste BUCHWALD, tithymalus foliis ad caulem ovatis, sub floribus binis, cordatis, obtusissimis, umbellæ radicis paucis, vagisque, HALLERI: Alibi tithymalus foliis ad caulem linearibus, obtusis, radicis umbellæ plurimis, petalis lunatis, HALL. & tithymalus foliis ad caulem cruciatis, linguatis, sub floribus cordatis, longe acuminatis, scutis bicornibus obtusis; & hic venenatissimus est.

Tota

Tota fere gens caustico scatens lacte, purgante vi infamis, acidis cicuratur, & in hydrope permittitur, BOERHAAVE. Officinae radicem esulae habent, non nullae præparant, & siccant, aliæ vix tantam curam adhibent. Dosis pulveris pro hydropico granorum decem, viginti quinque; corticis radicis decem, quindecim; in infuso drachmæ unius, unius cum semisse, addito syrupo de spina cervina.

EUPHORBIUM *Offic. Botanitor. TITHY.*  
*MALUS.* Classis Pauci-stam. *Germ. Euphor-*  
*bium.* *Gallis Euphorbe.* *Anglis Euphorbium.*

TITHY MALUS *aculeatus, nudus, multangularis, aculeis geminatis, incisus lac fundit causticum inflamans, infelici in horto Lugduno-Batavo exemplo.* Hæc lacryma exsiccata, non minus caustica, granulosa, cavernosa, in aqua, & spiritu vini rectificatissimo solubilis, gummi-resinosa est. Ardentissimum hydragogum interno non satis tutum usu, etiam inter errhinna infame.

USUS chirurgis ad cariem ossium in pulvere utilis; emplastro exceptum euphorbium vesicans est. Oleum in tumoribus duris nobile, laudatum.

HELLEBORUS Niger *Offic. Botanitor. Classis Naturalis Multi-stam.* *Germ. Schwartzze Niess-*  
*wurtz.* *Gallis Veratre Noir.* *Anglis Black Hellebore.*

Veterum multa hellebororum laudatio, magna con temperata infamia est, etiam nostris temporibus ex medicamenti incertitudine accumulata. Testimonia utrinque multum dubia sunt, etiam contraria PAUSANIAE,

& GA-



& GALENI. Utique compulsis omnium authorum locis, quid veterum helleborus, ignoratur, ut huic vel illi ex veteribus adscripta laus non satis certa videatur; accedit, quod etiam eadem hellebore species in diversis regionibus virtute variet: in Gallia adhibita, anglica valentior, BOULDUC Acad. des Sciences. Helleborus anglicus vix multum purgat, QUINCY.

Officinis nostris hellebore nigri *scapo nudo, bifloro, foliis pedatis*, definiti radix, & fibræ receptæ sunt, an purgantes? dubitat LINNÆUS, licet validissimum & vetustissimum purgans alii habeant; sed etiam desperato paralytico, in quo & nervi ob longius iani tempus collapsi extimulandi, & profunde impæcta materies solvenda, extracti valida dosis ab Illustriſſ. L. B. van SWIETEN exhibita, alvum vix sollicitavit; plurimum primo angi æger, singulture dein, vomere, & alvum semel deponere; levatus æger, non restitutus.

VIS alterans, solvens, princeps, emmenagogæ chalybe potior, MEAD, QUINCY, & Illustriſſ. van SWIETEN observationibus, qui aquæ stillatitiae Rutæ infundit; ad hæc in obstructionibus, mania, melancholia, plurimorum experimento utilis. Dosis expiscanda est, nec forte in omnibus locis eadem: Angli hellebore grana quindecim, viginti, scopo alterante sudorifero dedit QUINCY, grana quindecim scopo emmenago- go, fibrarum concisarum hellebore gallici drachinam fenis, in lactis uncia una semis ebulliendam IDEM; in infuso drachinam unam, duas, etiam maiorem quantitatem, alii etiam unciam semis in decocto dant, quod egregium ad maniam medicamentum habent: In morbis apoplecticis, soporoforis, aliisque gravibus, a causa frigida dependentibus, vel hellebore decocto, vel extracto cum sale geminæ, aut colocynthide, feliciter multi



multi utuntur, L. B. van SWIETEN. Externe rustici maiora armenta, transfixa cauda, & inditis huius radicis fibris, a multis morbis liberant: sed etiam sic purgat, WALÆUS.

Examen chemicum BOULDUC docuit, resinosa partem exiguam valentissimam, guminosam abundantiorem purgantem quidem, tamen mitiorem: Extratum spiritu vini solo factum suspectum esse debere, aquosum malignum non esse ad scrupulum, & ultra exhibendum, quod & alii confirmant. Aqua stillatitia erat acris, BOULDUC, spirituosa ad unum cochlear alvum duxit, HALLER, ad octo iuvenem efficacissime purgavit, BORRICHII. Virtus hellebore nigri omnium felicissime obtinetur, si grossus eius pulvis cum sale tartari teratur, trita in aere reliquantur, ut deliquescant, QUINCY. Tenuerunt vinum in menstruum additum hellebore, pulchrum solvens est, IDEM.

Varia variis in officinis hellebore nigri præparata habentur: Nostræ solum *extraictum* aquosum possident, per se adhibendum dosi granorum duodecim, virginis, stimuli loco aliis addendum, dosi gran: quinque, decem.

HELLEBORUS Albus *Offic. Botanicor. VERATRUM. Classis Natur. Liliorum. Germ. Weisse Nieswurtz. Gallis Hellebore blanc. Anglis White hellebor.*

VERATRUM *caule ramoso*, est helleborus albus officinarum, distinctissimus a priori, ut, cur confundi, & eodem nomine insigniri potuerit, mirandum sit. Malignus est, & ex communis consensu noxius. Dum contuderetur helleborus albus, adstantes purgati sunt, BOY-

Crantz. M. M. T. III.

D

LE:



LE: Regius princeps a scrupulo hellebori albi assumpto intra trihorium convulsis periit, HELMONT: a scrupulo convulsiones motæ, *Ephem. Acad. N. C.* canis eadem dosi ad ultima deductus, WEPFERUS: ab hoc multi strangulati, FALLOPIUS: etiam in discriumen ab admodum exigua dosi deductus in audaci experientia ipse GESNERUS: Multos tamen in pratis plantain sine noxa comedere HALLERUS vidit.

Chemia Helleborum absque aqua destillans, spiritum acerrimum, sublimati corrosivi solutionem coagulantem, producit, BOULDUC. *Acad. des Sciences.* Tinctura spiritu vini facta, veneno noxia magis, HERISSANT. *Acad. des Sciences.*

USUS in epilepsia, mania, rarus, quod non satiatus: sed aceto cicuratur, & revocandum ad officinas est oxymel Helleboratum GESNERI.

HERMODACTYLUS *Offic. Botan. IRIS.*  
Classis Naturalis Palinarum. *Germ.* Hermodactylen. *Anglis* Hermodactyles.

IRIS corollis imberibus, foliis, tetragonis L. annoxia dicta, quod primis botanicis colchici species haberetur? omnino videtur, nam veneni nullum exstat exemplum. Recens bulbus, & vomitum, & alvum movet, adultior magis alterans est.

VIS ad referanda obstructa in vasis minimis celebris, in rheumatismo, amaurosi, conveniens laudatur. Etiam inest purgans: datur pulvis drachmæ semis, unius pondere. Dum infunditur, uncia semis præscribitur. Arcanum ad morbos articulares hermodactylorum pulverem ab omni tempore multi habuere. Numer



per adhuc cum aliis ut securum remedium, quo dolores arthritici levarentur, & sedarentur, præscriptum legimus in *Comment. Societ. Scient. Harlemonis* P. II. hoc modo: *R.* Polypodii, *Herm*odactyli. *Rad.* Bardanæ, Sarsaparill. ana uncias quatuor: Rasuræ ligni sancti uncias duas. His concisis mensuræ novem aquæ, tres vini albi, super affundantur, stent in digestione integra nocte, dein tribus horis leniter ebulliant, refrigeratum liquidum per incerniculum crinitum, densum, filtretur, residuis facibus de novo super affundantur aquæ inensuræ sex, vini duæ, ebulliant ad tertiaræ partis remanentiam, decantetur liquor, priori affundatur, sumatur pro potu ordinario.

*Caveat mors acrotur omnis genetrix  
in scula, lac, et cibis inde parabol, acida omnia et fructus.  
Post quartanum huius decursu usque tunc illi porrigitur pars unus, ex Mez-*

*HIPPOMANE L. Classis Naturalis Incom-  
pletarum.*

**HIPPOMANE** foliis ovatis, serratis, venenata dat poma, quorum venenum folia Ricinoidis America-  
næ folio multifido T. dominat, **SENACO** teste.

**HYACINTHUS** *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* Mertzblume. *Gal-*  
*lis* Hyacinthe. *Anglis* Harebell.

Ex fabula magis, quam observatione, noxius dicitur multis; tamen inter hasce huius ordinis radices venenatas, hyacinthi *Narcissi Coronæ Imperialis LINNÆUS* numerat, & tulipæ, & Lilii ab omni suspicione absolvit, quod Tulipæ radix in Italiae quibusdam locis, edulis, lilii martagonis in Sibiria in quotidianum alimentum cedat.

NIGELLA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Multi-stam. Germ. Schwartz-Coriander. Gallis Barbue. Anglis Nigella.

NIGELLA *petalis subtricuspidatis, foliis subpilosis cognoscenda,* nonnullis suspecta habetur, licet lumen desiderentur testimonia. Semina aromatica acria sunt, oleo, quod exprimi posset, plena, TOURNEFORT. Expressum oleum nardinum per errorem multi vocant.

USUS internus vix confirmatus: an devoratum fesqui drachmæ pondere semen per aliquot dies, rabiem caninam tollit? sternutatorium acre est L. B. van SWIETEN.

OLEANDER *Offic. Botanicorum NERIUM.* Classis Pauci-stam. Germ. Oleander. Anglis Oleandre Rose Tree. Italis Leandro.

NERIUM *foliis lanceolatis ternis, repetitis etiam experimentis venenatum deprehensum est.* Narcoticum, carum inducens, LINNÆUS *Vires Plant.* Una tamen species antidysenterica EIDEM audit. Oleander venenum alit, GODFREY *a Treasure of discoveries.*

RANUNCULUS. vide p. 37.

SCAMMONEUM vide Classem purgantium P. II. p. 225.

TAGETES *Botan.* Classis Nat. Compositarum-Radiatarum. Germ. Sammetblum. Galli Oeillet d'Inde. Anglis Africane Marigolt.

TAGETES *caule subdiviso diffuso, aliis flos Africanus, ut etiam Tunetanus dicta, odorem gravem, caput*



put tentantem spargens, experimento DODONÆI multum infamis habita: sed etiam experimentum repetens LEMERY criminari plantam non potuit, quam ultimo anodynæm esse LINNÆUS pronunciavit.

*THAPSIA* *Offic. Botanicorum.* Classis Naturæ Umbelliferarum. *Germ.* Tapsia. *Italis* Tapua. *Anglis* Deadly Carrots.

*THAPSIA fætida*, foliis multifidis, bast angustatis, cognoscenda, radicem officinæ concedit, periculose purgans. Salmantenses vetulas menstruarum promovendorum causa cum periculo sursum, & deorsum moveri, CLUSIUS. In terra Attica pecudes incolas eam non tangere, peregrinas vero depascentes vel alvo soluta liberari, vel interire, iam THEOPHRASTUS edixit.

USUS in medicina externus olim multis, frequenti NERONIS experimento clarus, dum nocturnis graffationibus converberatam faciem cum Thapsia, thure, & cera illiniret, ut sequenti die contra famam cutem sinceram circumferret, PLINIUS. Sugillata delere, in profundo latentia evocare, veteres omnes prohibent.

*TIGLIÆ*, seu *TILLI GRANA* *Off. Botanicorum* *CROTON.* Classis Incompletar.

*CROTON* foliis ovatis, glabris, acuminatis, serratis, caule arboreo, fert grana, cum periculo sursum deorsumve moventia, admodum suspecta, caustica, multo medicis hinc inde frequentia: ad tænias cum effectu tamen usus COHAUSEN, dosi granor. duor. trium.

TOXICODENDRON TOUR. RHUS  
LINN. Classis Natur. Fructiflorarum.

RHUS radicans triphyllum, glabrum, inter alias species IOSEPHO MONTIO in Bononiensis scientiarum & artium Instituti Tomo III. quod ne altori quidem optimo parceret, infame merito declaratum fuit. Mirum venenum planta habet; ruidus contrectata, afflicata corporis parti, pustulas nigras cum inflammatione, puritu excitat, brevi per totum corpus diffusas; lac magis venenatum est, laedit & ipse halitus: remedium malo nondum inventum; nata in pustulis & maculis suppuratio auxilio fuit: ad dolores leniendos decocto foliorum malvae cum sambuci extremitatibus utiliter usus MONTIUS.

An decocta planta minus venenata? panis hac decoctione saturatus, felibus, gallinis, exhibitus innocuus, IDEM. Est adhuc in hoc genere venenatum Rhus Vernix fructu rhomboide, ipsa etiam, quæ ex inciso cortice exstillance crystallina lactea lacryma aeris contenta consistit nigra, vernix; tum Rhus Toxicodendron proprie dictum LINNAEO, de quo tamen nuper etiam retulit ex plurimis experimentis egregius ROSSI, nec totius plantæ succum nec illum lacteum, nec plantæ radicem ore assumptam, nec succum crurali venæ infusum canem interimere potuisse, vividumque persistisse, etiam assumptis duabus radicis Toxicodendri unciis gallum. *De nonnullis plantis quæ pro venenatis habentur observationes Pisces.*



CLAS-



## CLASSIS SECUNDA

V E N E N O R U M  
S T U P E F A C I E N T I U M .

BELLADONNA *Offic.* ATROPA *Botani-*  
*corum.* Classis Pauci - stam. *Germ.* Dollkraut.  
*Italis* Bella donna. *Gallis* Morelle Marine.  
*Anglis* Dwale.

A TROPA *caule herbaceo, foliis ovatis, integris,*  
*solanum furiosum maniacum etiam dictum est.*  
*Radicis minor dosis species vanas, duplicata mentis*  
*alienationes, quadruplicata mortem adserit, DIOSCO-*  
*RIDES.* A folii recentis particula oculo apposita,  
*pupillæ relaxatio, RAIUS, cæcitas, WEPFER.* Baccæ  
*vero primum maniacæ, dein lethales, & quidem præ-*  
*ter experimenta MATHIOLI, LOBELII, adolescen-*  
*tulum unum mortuum ex esu duarum, triumve bacca-*  
*rum BODEÆUS a STAPEL habet; chirurgus medi-*  
*co, ne comederet monenti, illudens, a tribus, qua-*  
*tuorve baccis comedis interiit. L. B. VAN SWIETEN.*  
*Lethalis baccarum alter effectus SCHUSTERO* *Actis*  
*Phys. Med. Acad. N. C. Vol. VI. descriptus est. Sa-*  
*lus in vomitu, & aceto. Et hæc quidem huius plantæ*  
*infamia est.*

Verum etiam in laudem illius nonnulla dici pos-  
 funt: opposita est dirissimo cancro, & in eo malo spe-

D 4

cifi.